



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnerum

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

Cœlum in terra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

sint cœli, ac abyssi, quibus illud aperitur, hæc clauditur.



AD sacrum hoc vulnus dexteræ manus, cum omni fiducia pete à Deo, ut æternam beatitudinem consequi possis.

CONSIDERATIO I.

Vulnera Christi

Cœlum in terra.

SI fieri potest, ut in terra cœlum reperiat, hoc ille consecutus est, qui

Psal. 17.
v. 15.

Serm 61.
in Cant.

qui sacra Domini Iesu vulnera invenit. Cœli felicitas ac beatitudo est Deum intueri; *Satiabor*, inquit Propheta Regius, *cum apparuerit gloria tua*. Animarum autem in hoc mundo beatitudo consistit in meditatione, & cognitione atque imitatione patientiæ, quam in passione, cruce, vulneribusque suis tolerandis, Salvator nobis exhibuit, quæ illi adedò gravia fuerunt, ut indignum arbitrari debeamus, sine passione, cruce, ac vulnere esse, ubi Dominum Iesum passum, crucifixum, vulneratum conspicimus. *Vult benignus Dux*, ait Bernardus, *devoti militis sui vultum in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo suo, reddat ad tolerandum fortio-rem, ac lætiores. Enimvero non sentit sua, dum illius vulnera intuetur*. In quo animæ tolerantis ac patientis summa in terris est felicitas, ac beatitudo, patientem se, ac dura tolerantem, in patiente, ac duriora tolerante Salvatore contemplari.

De cœli pulchritudine quid dicam?
Inexplicabilis illa est à Dei Majestate,
à glo-

à gloria Deiparæ, Angelorum ac San-
ctorum omnium, ab ornatu, & consti-
tutione, quæ à D. Ioanne describun- Apoc. 21.

tur, desumptâ comparatione ab iis,
quæ in terra sunt ornatissima, ac splen-
didissima. Præclarè D. Augustinus: In ps. 85.

*Pulchrum, inquires, est cælum, sed pulchrior
est fabricator cæli. At video cælum, inquires,
& illum non video: oculos enim habes ad vi-
dendum cælum, cor nondum habes ad viden-
dum fabricatorem cæli. ideo venit de cælo, ut
mundet cor, (aquâ scilicet & sanguine
manante è cordis sui vulnere) quo vi-
deatur qui fecit cælum, & terram. Ita Chri-
sti sacrosancta vulnera, non solùm di-
gnos nos reddunt, ut Dei, cælique pul-
chritudinem conspiciamus, sed & ipsa,
ait Blosius, plus pulchritudinis, lætitiæ, atque Expl. sup.
pass. Dom.
c. 19.
claritatis toti cælesti curiæ conferunt, quàm
omnia alia, quæ in vita perenni, excepta divi-
nitate, habentur. quare deplorandum, ait, tan-
tam pulchritudinem, toto terrarum orbe, parum
adeò ab hominibus æstimari.*

Pium hunc Ludovici Blosij sensum, Tom. 1. l. 6.
piè æquè, ac doctè confirmat Iulius de Deo uno
quest. 19.
Cæsar Recupitus, Societatis nostræ

N

Theolo-

*Apoc. c. 5.
v. 21.
v. 24.*

Theologus, utiturque S. Ioanne Evangelista, qui ait, *vidisse se lucernam seu lumen Agni stantis in medio Throni tanquam occisi*, cuius scilicet vulneribus, totidem veluti solibus, cœlum universum illustrabatur. Quod occisi, & vulnerati

*Apoc. c. 21.
v. 11.*

Agni lumen, S. Ioannes dicit esse *tanquam lapidis Iaspidis*; quæ gemma, ut ait S. Hieronymus, est *quasi mixto cruore subrutilans*, & uti Cornelius noster *quasi plagis dissecta*; quâ quid clarius significatur, quàm Agnus noster occisus & plagis dissectus, qui pleno, non mixto cruore subrutilans, sacratissimis suis vulneribus, augustissimum gloriæ lu-

*P. 3. q. 92.
a. 2. in corp.*

men, ut cum S. Thoma loquar, cælo infundit; cumque Iaspis gemma, colore vario fulgeat, tot cœlum occisus Agnus divinis illustrat Iridibus, quot in illud vulnera, meritis innumeris, gloriaque redundantia intulit.

Quam gloriam, quantum in mortali vita licuit, prælibavit S. Mater Teresia, quæ solo splendore, ac lumine vulneris manus Domini dextere conspecto, ita afficiebatur animo, ut
spreto

spreto omni eo, quod mundus pulchrum, ac speciosum æstimat, sacro isti vulnere semper adhæserit, in eoque dum vixit, cælum suum elegerit. Quid si reliquorum vulnerum gloriam conspexisset Theresia? Credidisset sanè cælos novos in terra condidisse Deū. Fixum itaque, ratumque sit cum Ludovico Blofio, *sacra Domini vulnera plus pulchritudinis, atque claritatis toti cœlesti Curie conferre, quàm omnia, quæ in vita perenni, excepta divinitate habentur, eademque nobis in vita hac mortali totidem cælos esse.*

In monte Thabor facies resplenduit Matth. 17.
 Salvatoris, sicut Sol, & vestimenta ejus fa- v. 1.
 eta sunt splendentia, & candida nimis velut Mar. 9. v. 1.
 nix, qualia fullo, ut ait Marcus, non potest
 super terram candida facere; æternæ quippe lucis candor illis à Domino communicabatur. Captus hoc splendore, & candore, ac gloriâ Petrus, sui ac sociorum Apostolorum oblitus, exclamat: *Domine, bonum est nos hîc esse; faciamus hîc tria tabernacula: Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Non enim sciebat, quid diceret,*

N 2

ait

x p. stim,
c. 5.

ait Evangelista. Verùm scit sanctus Bonaventura quid dicat, cùm vult, ut faciamus tria tabernacula in vulneribus Salvatoris, unum in pedibus, unum in manibus, & unum in latere, ac corde Iesu; in quibus planè bonum est nos esse, omnia opera nostra peragere, & celo in terra frui, est enim in illis omnis cœli splendor, atque ornatus.

Delib. arb.
l. 3. c. 25.

De cœli suavitate quid dicam? de illa ambrosia? de que illo nectare? *Tanta*, ait Augustinus, *suavitas ac jucunditas est lucis aeternæ, ut etiamsi non liceret amplius in ea manere, quàm unius diei morâ; propter hoc solum, innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, re-Elè meritoq; contemnerentur. Non enim falso ac pravo affectu dictum est: melior est dies una in atris tuis super millia. Habent & hîc in terris atria Domini, sacratissima scilicet illius vulnera, jucunditatem, & suavitatem suam, quæ omnes mundi delicias superât, & cœlestes adæquant.*

Marg. Sp.
c. 19.

Ita expertus judicavit Abbas Blofius, cùm ait: Ore ad patulum vulnus lateris ejus apposito, cœlestem suavitatem ex corde ipsius manantem gustato, reuera enim torrens volu-

ptatis

pratis illinc erumpens te abundanter satiare poterit. Ita sancta virgo Ludgardis lateri Domini sibi occurrentis, dum ad templum ægra se conferret, os applicans tantam exsugebat dulcedinē, ut nullis posse affligi ærumnis se crederet, in quibus cœli solatia ex divino illo fōte hausta non experiretur. Ista dulcedine perfundebatur iterum Blofius, cū ait, *Saluto, Domine Iesu, rosea, ac suavissima vulnera tua, quæ suscepisti pro me, & in quibus descripsisti me. salвете, salвете, salвете vernantes, & saluti-feræ plagæ Redemptoris mei, & amatoris mei.*

Barth. Fi-
zen. in vita
16. Iunii,

Inst. spir.
c. 11.

Nec minore affectu in omnem suavitatem effunditur S. Mechtildis, cum ad Domini vulnera exclamat. *Salvete monumenta charitatis, testimonia obedientiæ, signa iussionis paternæ, & pretia redemptionis humanæ, salvete gaudium Angelorum, gloria patriarcharum, zelus Apostolorum, fortitudo Martyrum, lumen Doctorum, patientia Confessorum, decus ac splendor virginum, solatium sanctorum omnium.*

Sic & ille è Societate nostra piè & eleganter accinebat.

Otho zylus
in poem. de
vuln. Dom.

Salvete, ô dulces plagæ, quas mitis Iesus.

N 3

Pertulit,

Pertulit, humanae restaurans damna salutis:
 Salvete, ô reflui divino sanguine fontes,
 Vos, ego, vos non ore bibam, sed pectore toto;
 Quoq; magis biberim, sitiam magis. ite liquores,
 Ite salutiferi per membra arentia rivi;
 Totus ut in venas, & viscera serpat Iesus.

Ita ser^{Del}vi^{Del} animum recreant in Domini vulneribus, præ his nullas delicias amantes, nullas quærentes.

In ejus
vita.

S. Clara Affisia, nullo non die statis precibus sacra Domini vulnera salutabat, ac venerabatur, quo in pietatis exercitio, ingenti semper consolatione perfundebatur, utque sanctissimorum horum pignorum assiduum haberet monitorem, fune aspero, nodis quinque implexo, corpus cingebat.

Neque in oratione tantummodo, piisque devotionis exercitiis, quibus vulnera Domini colimus, hanc cœli suavitatem invenire est; sed in ipsa etiam tribulationum, atque afflictionum amaritudine, uti mox in sancta Ludgarde vidimus, & ipse Salvator nos docet. Juvenis nobilis, & lectæ virtutis, familia Senensis, Ioannes de Incõtris, in deliciis

Laur. Scab.
lab. in
Moral. 19.
de pass.
Dom.

deliciis paternæ domus educatus, illis nuntium remittens, Ordini sancti Augustini nomen dedit. Mox tamen vitæ religiosæ incommodis in gravem mœrorem dejectus, domum paternam repetere statuit. At non passus id Salvator, se illi videndum obtulit, detecto lateris vulnere: fili, inquit, ubi tibi minus sapidus, lectus durior, nocturnæ vigiliæ, meis concinendis laudibus constitutæ, molestiores fuerint, ingredi vulnus hoc, & intinge illa in divino sanguinis mei condimento, & cœlesti tibi suavitate dulcescent. Momenti obtemperavit juvenis, & tantis cum solatiis, tantisque virtutibus vitam peregit, ut beati appellatione à sede Apostolica meruerit condecorari.

Huic non absimile, quod Bononiæ in templo PP. Prædicatorum tabulæ inscriptum legit, mihi que transcripsit è Societate nostra vir fide dignus. Novitius sacro illo in Ordine, communi cibo assuescere vix poterat. Iuveni gravis erat hæc lucta, cui ne succumberet, panem, quem maximè fastidiebat,

per urbem collectum, ac sæpe mucidum, arripit, cumque eo ad imaginem depositi de Cruce Salvatoris, & in afflictissimæ Matris sinum recumbentis convolat, querelas suas apud Deiparam deponens, opemque implorans: quæ blandè Tironem intuita panem accipit, cruento dilecti filii lateri intingit, illique reddit; quo gustato, credidit se adscriptum Beatorum numero, *qui manducabunt panem in regno Dei*; vixitque deinde paupere, ac religiosâ mensâ contentus, quam sacro, ac sapido sanguinis Domini cõdimento, sapidam sibi quotidie reddebat. Ita faciebat in Hispania Religiosus alter è sacra Carmelitarum Discalceatorum familia, qui acescens vinum, ut saperet è vitro, veluti è latere Domini hauriebat.

Luc. 14.

Carolus à
Brux. in
elogiis.

Suo etiam solatio à vulnerato Salvatore affectus fuit frater Ioannes Baptista Faventinus ex D. Francisci familia Capucinus laicus. Hic perditis moribus homo, cum Ordini sacro se dedicasset, tantò in religiosa vita melior,

lior, quantò in priore deterior fuerat, monitus coram toto monasterio à superiore suo, vel ut emendaretur, vel ut ad omnem virtutem magis erudiretur, adeò monitionem hanc sensit, ut venâ pectoris disruptâ, sanguinem per os copiosè eiecerit, quem manu excipiens, & ad Ecclesiam convolans, Salvatori in cruce pendenti obtulit: En, inquiēs, Domine, quę pro te patior. Cùm Dominus, revulsâ è cruce manu, sanguinem è sacro suo latere profluentem consimili voce reddidit: en Baptista, quę ego pro te passus sum. Quâ Salvatoris sui benignitate confirmatus, quęcunque illi deinde ardua occurrerunt, in latere ac sanguine Domini reposuit, atque in deliciis habuit, & tanquam dona è cœlo missa, de manu Dei accepit.

Qui mihi hoc in opusculo usui sæpe fuit Lucas Wadingus Annalium Ordinis Minorum scriptor accuratus, etiam hic erit. Narrat ille, fuisse Ordinis sui Guardianum Lunelli in Provincia Montispeffulana, parum memorem,

An. Chr.

1252. n. 47

10. 2.

morem, rationem, jusque ipsum postulare, hominem, quemadmodum per summam liberalitatem in Religione Deo, Dominoque suo se consecrat, sic à Superioribus eodem amoris sinu excipiendum, ac tractandum esse; hujus, inquam, moniti Guardianus ille parum memor, Tironem durè admodum, atque asperè habere erat solitus; qui postquam gravem sibi impositam pœnitentiam adimpletset, in Ecclesiam profugit, ubi prostratus coram Crucifixo, Ecce, inquit, Domine, quanta pro te patior; ecce quas molestias mihi ingerat inhumanus Guardianus. Tu nosti, potuisse me has calamitates evadere, neque enim deerant mihi in sæculo facultates lautè vivendi. Cui benignè Christus; Ecce etiam, quæ ego pro te passus sum; quæ mihi illata ludibria, quæ vulnera, quæ suprema malorum: neque verò ulla culpa mea, tua omnis. Ego innocens pro te peccante omnia perpessus. Correxit errorem suum iuvenis, & in cruce, ac vulneribus Domini sui deinceps suavè vitã duxit.

Eia

Eia Tirones ! eia Christi novellæ
 plantæ ! novella sanctissimi Ordinis ve-
 stri germina ! non unam vos mihi feci-
 stis hoc in opusculo de vobis scribendi
 occasioem : postremum modò vos
 compello, & adhortor, ut scilicet cùm
 Apostolo, *in fame, ac siti, in frigore, ac nu-*
ditate, in labore, & ærumna, in vigilijs multis,
in necessitatibus, ac tentationibus
 quotidianis, confortemini in Domi-
 no, & in potentia, ac suavitate sacra-
 tissimorum ejus vulnerum : illa vene-
 ramini, illis adhærete, & videbitis
 auxilium vulnerati Iesu super vos.

*2. Cor. II.
 v. 27.*

Atque ita vulnera Domini gaudia
 sunt, solatia, dulcedo, ac beatitudo in
 omni tribulatione ad patientem &
 vulneratum Salvatorem recurrenti-
 bus, eumque sincerè amantibus; ad
 quem eleganter ille nos invitat, cùm
 ait :

*Huc, huc, vel è cœli Hybla apes mellificæ,
 Vbi flori unico quinque alvearia non sufficiunt,
 Tam suavis est.*

*Inglavis
 elog. 86.*

Est enim Salvator flos ille campi, & lilium
convallium, adeò succulentus & suavis,

*Cant. 2.
 v. 1.*

ut

ut mellis, & consolationis omnis materiam in quinque sacrorum vulnerum suorum divinis alveariis superabundantem sufficere possit, quâ quidquid aduersum nobis, atque acerbum accidit, veluti dulcedine è cœlo haustâ leniamus.

CONSIDERATIO II.

*Vulnera Christi**Via ad patriam.*

I. Pet. 2.
v. II.

In opus de
cōtemptat.

Lib. I. Inst.
Sp. c. 17.

ADvenæ super terram, & peregrini omnes sumus. Via nobis ad patriam sunt Domini vulnera; *Via*, inquam, sunt, ut cum S. Thoma loquar, *rectissima absque devio: Via brevis absque tædio; via plana absque cumulo; via securo absque periculo, via jucunda cum socio bono, scilicet cum te, Domine, amantissimo Duce.* Ita Ducem ac socium hac in via morienti S. Mechtildi se Salvator exhibuit jucundum omnino, ac lætum, magna Majestate, ac gloria, patentibus vulneribus, quasi tot modulatis